



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

7. An ex solo dicto socij criminis possit reus ab Inquisitoribus torqueri? Et
difficultas est, quænam sint adminicula, ut cum dicto socij criminis faciant
contra nominatum indicium ad torturam? Et an ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. VII.

An ex solo dicto socij criminis possit reus ab Inquisitoribus torqueri?

Et difficultas est, quanam sint adminicula, ut cum dicto socij criminis fiant contra nominatum indicium ad torturam?

Et an depositio duorum sociorum criminis sufficiat ad torturam?

Et difficultas est, an duo socij criminis non testes, sed singulares faciant indicium ad torturam?

Et an dictum socij criminis tunc faciat indicium contra nominatum, quando fuit interrogatus à iudice, sed non quando declarationem illam voluntarie fecit?

Et alia tres quaestiones circa dictum socij criminis notantur. Ex p. 4. tr. 6. Ref. etiam 7.

§. 1. Affirmativè videtur respondendum, cum de consuetudine, teste Petro Caballo centur. 1. cap. 8. 4. num. 7. quàm per ea, quæ adducit Antonius Gomez var. resol. tom. 5. cap. 12. n. 18. & Blanchus in tract. de indicis ad l. fin. de quest. n. 378. & 379. Scotus conf. 10. num. 28. & 31. lib. 2. Plaga de delictis cap. 13. num. 28. Guido de Sularia tract. de indicis, num. 24. Butrius, Imola, Abbas in cap. 1. de confess. & Lessius lib. 2. cap. 30. dub. 5. n. 29. ubi sic ait: In criminibus exceptis admittitur socius criminis, ut testis idoneus, ut in hæresi, atque huiusmodi depositio non solum erit sufficiens indicium ad torturam, sed etiam erit semiplena probatio, & accedente alio socio, qui idem deponat, erit plena probatio & poterit reus condemnari. Ita ille; & post illum Pitigianus in pract. crimin. part. 2. cap. 1. §. septimo socius criminis, fol. mibi 138.

2. Sed fallitur, & ideo vera responsio est negativa. Dico igitur quod si cum dicto socij criminis non concurrat alia præsumptio, vel adminiculum, aut indicium, non facit indicium ad torturam; & ratio est clara, quia quis non potest torqueri, si non addit saltem semiplena probatio, quam efficit dictum unus testis omni exceptione maioris, sed socius criminis, ut patet, non est testis omni exceptione maior, ergo, &c. & ita hanc sententiam docet Didacus Canteria in quest. crim. c. 2. de probat. per testes §. 1. num. 52. Ioseph Aldrete de discipl. tuenda lib. 1. cap. 8. n. 27. Becanus in sum. tom. 3. part. 2. de iust. & iure q. 67. D. Thom. de iniustitia iudicis §. 10. concl. 2. n. 10. Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 3. dub. 1. §. n. 7. Sylvestre ver. indicium, n. 5. Armilla n. 6. Angelus n. 5. Tabiena n. 4. Layman in Theol. moral. lib. 3. sect. 5. tract. 6. cap. 5. n. 7. Soula in Aphor. Inquis. lib. 2. cap. 39. n. 51. Delius in disquis. magic. append. 2. lib. 5. quest. 11. Quevedo de indic. & tort. part. 2. cap. 5. num. 16. Narbona in recap. part. 2. leg. 2. glossa 4. n. 5. Ioseph de Sancta Maria in tribun. Relig. tract. 5. cap. 2. §. 5. Bossius tit. de indic. ante torturam, n. 160. Marsilius conf. 128. n. 27.

3. Sed difficultas est, quanam sint adminicula requisita, ut cum dicto socij criminis faciat contra nominatum indicium ad torturam? Menochius de arbit. lib. 2. cap. 47. 4. n. 47. Peguera decis. crim. 5. num. 33. & alij putant, ex quo non invenitur in lege determinatum, qualia esse debeant supradicta indicia, arbitrio Inquisitorum remittenda esse; sed quia in facti contingencia adest scrupulus ad arbitrandam hæc adminicula, ponam hic casus aliquos, quos affert Antonius Quevedo lib. de indic. & tort. part. 2. cap. 5. n. 5. & doctiss. Soula in Aphor. Inquis. lib. 2. cap. 25. num. 24. in quibus cum socij criminis testimonio datur tortura. Primus, quando simul concurrunt testes de auditu. Secundus, quando concurrat fama. Tertius, quando concurrat fuga. Quartus specialis & stricta amicitia nominati cum

Tom. V.

tali socio. Quintus, si concurrat secreta allocutio, & conversatio inter nominatum & socium. Ita Soula, qui citat Menochium & Farinacium. Vnde ego olim in sacro Tribunali consului dictum unius socij criminis cum adminiculo conversationis strictæ cum nominato, esse sufficiens indicium ad torturam, & præter Soulam & Farinacium ubi supra, adduxi Grammaticum vol. 6. num. 3. & Antonium de Ballis var. r. lib. 1. q. 26. n. 9. per ea, quæ observat Binsfeldius in comment. de malef. & math. leg. 9. de iudic. §. 5.

4. Notandum est tamen hic, quod depositio duorum sociorum criminis sufficit ad torturam Ita Caltus Palas tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 15. §. 4. num. 1. cui ego addo Martinum Becanum in 2. 2. de iust. quest. 75. de in iust. iud. quest. 10. n. 10. licet Michaël Zanardus in direct. Theolog. part. 3. cap. 94. fol. mibi 516. asserat duos socios criminis facere indicium ad torturam, dummodo cum aliquibus indicis deponant; sed absolute dicendum est, depositionem duorum sociorum criminis sufficere, & ita etiam docet Pegna in direct. Inquis. part. 3. comment. 110. in append. Menochius de præsumpt. lib. 1. quest. 91. num. 5. Clarus in pract. crimin. §. fin. quest. 21. Ioseph Aldrete de discipl. tuenda lib. 2. cap. 8. num. 27. Filiucius tom. 2. tract. 40. cap. 7. num. 37. Becanus ubi supra, & Quevedo de indic. c. 2. num. 20.

5. Sed difficultas est, an duo socij criminis non testes, sed singulares faciant indicium ad torturam; & affirmativam sententiam docet Soula in aphor. Inquis. lib. 2. cap. 39. n. 55. ubi sic ait. Duo socij criminis, etiam si sint singulares, indicium faciunt ad torturam. Ita ille, qui citat Farinacium q. 43. n. 37. & 38. & Iul. Clarus in praxi §. fin. quest. 11.

6. Notandum est tamen hic obiter primò, quod Sup. contra Mascardus vir quidem doctus de probat. conclus. 138. in hoc §. inf. in Ref. §. ult. num. 43. docet quod dictum socij criminis tunc facit indicium contra nominatum, quando fuit interrogatus à iudice, sed non quando declarationem illam voluntarie fecit. Sed ex Farinacio Antonius Quevedo de indicis part. 2. cap. 5. num. 17. asserit: [Esta opinion no es verdadera porque haze mas indicio, y tiene menos proluccion de fugecion, quando se haze voluntariamente que quando se haze por la pregunta, del Iuez.] Ita ille. Verum quicquid sit de hoc, etiam stando in opinione Mascardi, dictum socij in nostro sacro Tribunali semper habetur ex interrogatorio iudicis, & quando reus non vocatus, se declarat, ex obligatione edicti, & ex metu censurarum, hoc efficere dicendum est: ergo doctrina Mascardi non militat in casu nostro.

7. Notandum secundò, quod si qui tortus fuerit, est negativus ex dicto socij criminis adminiculo, si postea alij duo socij criminis contra illum deponant de tali delicto, potest reus iterum torqueri. Ita Marius Giurba in consiliis criminalibus, conf. 50. num. 42. cum Muscatello tenens hanc sententiam, si reus sit malæ, vel bonæ famæ, & vitæ, licet alij in homine bonæ famæ & vitæ id procedere negent.

8. Notandum tertio, quod tunc dictum socij criminis faciat indicium ad torturam, quando, ut dicitur in cap. in fidei favorem, de hæret. in 6. ex verisimilibus conjecturis, & numero testium, vel ex qualitate deponentium præsumitur falsum non dicere: & ita etiam observat Delius in disquis. mag. in append. 2. lib. 5. q. 1. concl. ult. Hippolytus de Marsiliis conf. 74. n. 13. & alij communiter ubi infra citandi.

9. Et tandem nota quartò, quod licet sine ulla difficultate quis possit torqueri ex dicto trium sociorum criminis, tamen hoc limitandum est, quando sit tanta vis bonæ famæ propter magnam personarum inæqualitatem, ut v. g. ait Delius in disquis. mag. in appen. 2. lib. 5. quest. 6. si Princeps deuntiaretur à suis

sf

fuis

illis subditis, tunc enim tot denunciations requirentur, quod possint præponderare, & idem ego sentio de aliquo qui in civitate publice apud sæculares haberetur pro Religioso eximie sanctitatis, plurimi enim facienda vitæ præcedentis merita, ut patet ex l. 3. §. 5. sed si ex improposito, & non omnes, §. 2. a barbaris, ff. de re milit.

RESOL. VIII

An depositio socij criminis adminiculata, sufficiat ad torquendum, si Inquisitores videant ipsum pati alios defectus, ut qui est infamis, criminofus, perjurus, vilis, abjectus aut alias inhabilis?

Et notatur socium criminis in casu hæresis admittendum esse etiam si alios defectus pateretur?

Ex quo alius casus inferitur circa depositionem socij criminis, & positus in calce hujus Resolutionis? Exp. 4. tract. 6. Ref. etiam 8.

§. 1. **N**egative respondendum est, igitur socius criminis, qui patitur plures defectus, ut qui est infamis, criminofus, perjurus, aut alias inhabilis, non facit indicium ad torturam. Ita Soula in aphor. Inquisit. lib. 2. cap. 39. n. 53. & cap. 25. n. 25. Gigas de crim. lese Majest. lib. 2. q. 7. §. 7. Menoch. de arbit. lib. 2. c. 474. num. 54. Anton. de Ballis tract. var. lib. 1. q. 26. num. 25. Narbona in recopil. p. 2. leg. 2. glossa 4. num. 10. & 11. Burlatus vol. 1. conf. 275. num. 19. Malcardus de probat. tom. 3. concl. 1311. n. 13. & 42. Farinacius q. 62. n. 381. & seq. Boëtius decis. 319. n. 3. & ante omnes Io. Rojjas singul. 188. num. 5. ubi sic ait: Licet in crimine hæresis socius criminis in testem admittatur, id locum habet in socio criminis, alias non infamato ex aliis delictis. Ita ille, & ideo Delrius in disquis. mag. lib. 5. sect. 3. fol. mibi 711. sic ait: Socius criminis ut faciat indicium ad torturam, requiritur ut non patiatut nisi hunc unum defectum, nam si plures habeat, etiam si tantum duos, v.g. quod non tantum sit infamis, & criminofus, sed etiam sit vilis, abjectus, vel alias inhabilis, tunc ne in exceptis quidem faceret indicium ad Inquisitionem Specialem, nedum ad torturam, etiam si in tortura suam nominationem confirmasset. Hæc Delrius. Vnde Ioseph. Sesse Consultor S. Officij to. 4. decis. Regni Arag. 477. n. 32 sic ait: Licet in crimine hæresis admittatur socius criminis, hoc procedit, quando talis socius non sit ex alio delicto infamatus, & sic non datur contra eum duplex exceptio, & defectus: nam sicut plura adminicula probant probationem, sic plures defectus eam destruant. Ita ille, & novissime Anton. Quevedo de indicij & tortura p. 2. c. 5. n. 18. ubi ita asserit: [En los casos en que el dicho delocio haze indicio para tormento ha de ser quando solamente padece excepcion de complice en aquel delicto, pero no quando padece tachas y objeciones por otro camino que por este.] Hæc ille, & etiam ante illum Avendañus respons. 31. n. 7. unde ex hoc principio ego olim reum à tortura liberavi, quod valde tenendum est menti à DD. Inquisitoribus, quia socij criminis in nostro sacro Tribunali fere semper patiuntur alias exceptiones.

2. Non desinam tamen hic adnotare, Delrium sibi contrarium in appen. 2. q. 17. dist. lib. 5. fol. 877. docere, socium criminis in casu hæresis admittendum esse, etiam si alios defectus pateretur, quia lex criminofus, & infames ad testimonium in criminibus exceptis ferendum admittens inter eos, qui uno, vel pluribus criminibus involutus, aut ratione criminum sepius infamia notatus, non distinguit; ergo nec nos distinguere debemus. Deinde, v.g. malefici plurimis iisque horrendis criminibus uplorimum sunt innodati, quod si aliis criminibus maleficos testes catere efficit

necesse, nullus unquam esset testis idoneus. Et ita hanc sententiam putat Delrius tenendam esse, quia pillosus Reipublicæ, & justitiæ, & pro illa citat Baiardum, Bolum, & Ludovicum; sed non est deferenda communis opinio, ex qua infert Farinacius q. 43. n. 86. innotabile, quod si reus primò examinatus negaverit delictum, ac etiam complices, vel confessus de se delictum interrogatus de complicitibus illos reticuerit, si postea iterum de hoc interrogatus, vel tortus sponte, aut per torturam variando à prima depositione locos nominaverit, non utique tunc faciet talis nominatio, indicium ad torturam contra nominatos, ex defectu perjurij, nisi forsitan cum dicto socij criminis perjurio concurrerent non solum adminicula, sed illa quidem essent graviora.

RESOL. IX

An dictum socij criminis adminiculatum sufficiat, ut Inquisitores possint torquere reum, si sit bona conditionis, & fama?

Et an faciat indicium ad torturam, si socius criminis, nulla præcedente interrogatione, alios socios nominet? Exp. 4. tr. 6. Ref. etiam 9.

§. 1. **N**egative sententiam docet Grammaticus consil. 70. num. 7. ubi loquitur etiam in dicto duorum sociorum criminis, idem docet Parilius lib. 4. consil. 151. n. 13. Rolandus à Valle vol. 1. consil. 61. n. 24. & seq. Bertazzolius lib. 1. consil. 61. n. 19. Peguera de Inquisition. crim. §. n. 31. Monticellus in practi crim. reg. 4. n. 46. ubi sic ait: Requiritur, quod inculpatus sit malæ famæ, conditionis, maleque vitæ & conversationis, alias nominatio in socium criminis nihil ei præjudicabit; quoniam bona fama talem effectum operatur, ut per ipsam elisum intelligatur illud indicium, quod ex dicto socij criminis relukabit. Ita ille, qui citat Cantezam, & Alexandrum.

2. Sed hoc attendant DD. Inquisitores) ego puto remittendum esse eorum prudenti arbitrio, nam si cum dicto socij concurrerent tot adminicula, & presumptiones, ut superaret bonam famam, esset omnino nominatus subijciendus torturæ, & ita tenet Farinacius q. 137. n. 188.

3. Notandum est tamen hic obiter, quod non est attendendum à DD. Inquisitoribus admittenda opinio aliquorum Doctorum asserentium, quod non facit indicium ad torturam si socius criminis nulla præcedente interrogatione, alios socios nominet, & ita contra hanc opinionem insurgit Farinacius loco cit. n. 189. Iul. Clarus in practi. lib. 5. q. 21. & alij, nec valet dicere quod testis ultro se offerens examini suspectus à jure reputatur; ergo pariter reputari debet suspecta nominatio socij criminis sponte facta, nam respondetur esse disparatam rationem inter utrumque casum, quia socius criminis in nostro casu non sponte se subijcit examini, sed coactus, ut patet, nec sponte dicitur deponere, quia cum à iudice ad dicendam veritatem super facto dato juramento, impliciter interrogatur de sociis, si socij intervernerint, ergo, &c. Sed de hoc supra etiam dictum est.

RESOL. X

An socij criminis, ut fidem faciant contra nominatos, sufficiat jurare, vel opus sit, ut ab Inquisitoribus torquentur ad deponendum? Exp. 4. tr. 6. Ref. etiam 10.

§. 1. **S**ufficere juramentum & torturæ supradictos non esse subijciendos, docet Io. Rojjas de hæres. p. 2. asser. 7. n. 155. Simane in cathol. instit. tit. 53. n. 38. & Avend. resp. 11. n. 8. & alij.

2. Verum